



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Veritates Christianæ Qvæ Modvm Exhibent Benè Vivendi
Et Benè Moriendi**

Balde, Hendrik

Ipris, 1689

37. Cap. De Satisfactione.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56447](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56447)

recogites, haud dubiè prorsus immutaberis animo, JESUM QUE peccando contemnere desistes, atque odium tuum cum odio Calliroës in amorem commutabis.

CAPVT XXXVII.

DE SATISFACTIONE.

Ingens est felicitas sine flammis piacularibus cœlum conscendere; sed quâ viâ voracissimum illum ignem tu effugies? qui in dies singulos peccata coacervas, & vix aliquid patienter ferre consuevisti? felicem meritiò te poteris prædicare, si ad breve dumtaxat tempus illic detinearis.

Nam vir fide dignus (a) narrat, quemdam ob unicam noxam, eamque non nisi venialem, per anni spatium, purgatorio igne fuisse cruciatum; Item Religiosum Societatis JESU quatuor omninò annis in eodem detentum ob inconstantiam in suâ vocatione, cui tamen nunquam plene consenserat, puellamque quamdam atrocissimis ibidem afflictam fuisse pœnis ad quingentos annos vanitatum & illecebrarum suarum causâ, quibus juvenes illam accedentes, fuerant depravati.

Hæc si ita se habent, tu certè quadragesimam

(a) Hautimus. pat. defun. n. 383.

gintâ minimùm, aut quinquagintâ annis rapidissimo illo igne torqueberis, forsan etiam usque ad mundi conflagrationem, si in anteaestas noxas relabi pergâs, si nihil omninò pati velis, si lucrandarum indulgentiarum non sis studiosior, & in eleëmofynis erogandis magis liberalis; si nulla corporis afflictatione in te ipsum animaduertas, & rarò vel nunquam tuis commodis atque inordinatis appetitibus defraudes.

Peccata puniri debent, vel per eum, qui illa commisit, vel per eum, in quem commissa sunt teste *S. Augustino* (a) iniquitas *annis parva, magnave sit, puniatur necesse est, aut ab homine pœnitente, aut à Deo vindicante.*

Exiguus in hac vitâ pœnis atque ærumnis enormia peccata gravissimâque supplicia redimere valemus. Possumus item ingens tum gratiæ, tum gloriæ incrementum comparare adversis, quæ nos hîc premunt, forti magnoque animo tolerandis: sed dispar est in flammis piacularibus patiendi ratio. Illic acutissimi dolores ad satisfactionem modicum conducunt, atque omnis merendi potestas omninò sublata est.

Si centum aureos cuipiam deberes,
(a) *Conc. 1. in ps. 58.* an

an non per lubenter intra tres hebdomada
unum illi aureum solveres eâ lege, ut
ceterorum omnium debitum tibi condona-
naret?

Multas graves pœnas pro commissis
peccatis Deo debes: quod si vel unicam
hîc velles illi pendere, cum sincero satisfaciendi
desiderio, de millenis, quas illi
debes, centum tibi lubens remitteret.

Magna igitur insania est, in flammis
piacularibus centum pœnas persolvere
malle, quàm hîc vel unicam.

Quod si JESUS ipsa Sanctitas in vigiliis
jejunijs, doloribus & lachrymis vitam
traduxerit, ut humanum genus in liber-
tatem assereret; quid nos agere, quâque
severitate in nos uti oportet, qui peccatis
undique gravati, in pejora quotidie
delabimur.

Quisquis hîc lugere detrectat, postmo-
dum lugere cogetur, & experientiâ ad-
discet, præstare, dies noctesque corporis
acerbissimis in hac vita torqueri tormen-
tis, quàm vel unicâ horâ animam pi-
acularibus æstuarè flammis.

CAPVT XXXVIII.

De Sacramento Pœnitentiæ.

Non pauci, dum ad sacrum tributum
accedunt de peccatis confessuri
demon